



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 123. Gregorius Scholarius novus Patriarcha a Mahomete salutatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CXXIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1453.*Gregorius Scholarius Patriarcha
novus a Mahomete salutatus.*

Patriarcha paulo post, Mahomete consentiente, habitationem suam transtulit ab æde Apostolorum ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis, quæ *Pammarchista* appellari consuevit. Ibidem Mahometes Patriarcham non ita pridem electum obsequiosa salutatione dignatus est, eumque rogavit, ut sibi præcipua Christianæ fidei dogmata explanaret. Scholarius hac occasione usus, tanto rationum pondere, ac verborum vi datum exequitur negotium, ut Mahometes veritati victas manus dedisse visus, non solum ab eo tempore Græcis prouorem sese exhibuerit, sed etiam ipsam Patriarchæ de articulis fidei dissertationem sibi scriptam dari petierit. Hæc exstat in Bibliotheca Patrum, in duas diuisa partes, quarum prima est dialogus Christianum inter & Mahometanum, in quo Scholarius totus est in eo, ut infidelem mysterium S. Trinitatis edoceret, variis hanc in rem similitudinibus adductis, quas a sole, igne, & anima petierat. Altera pars viginti capitulis distincta, cetera principaliora Religionis mysteria complectitur. Carpitur a nonnullis, quod in prima operis sui parte

Concil. Turco
Græc. lib. 2Bibl. Patr.
edit. Lugd.
tom 26. p.
556. & seq.

Sæcul. XV.
A. C. 1453.

*Possevin. in
Apparat.
Verb. Gen-
nadius.*

parte tres Sanctissimæ Triadis Personas verbis minus propriis indigitaverit, eademque appellaverit *idiomata*, sive proprietates; *Ast fortassis Auctor est excusandus*, inquit Possevinus, *quod ei cum Tyranno res esset, qui hoc mysterium aliter expositum exhibilasset, credens, Christianos tres adorare Deos.*

§. CXXIV.

Neo-electi Patriarchæ secessus in Monasterium; Ejusdem opera.

*Bibliot. PP.
l. c. p. 560. &
seq.*

Neo-electus Patriarcha nulli pepercit labori, ut populum suum ad Ecclesiæ Catholicæ obsequium reduceret, atque ad acceptandum unionis decretum permoveret. Hunc in finem luculentam concinnavit apologiam de articulis decreti Florentini, cumque mox post captam Constantinopolim scripisset, inde occasionem nactus vivis admodum coloribus atque insigni eloquentia urbis hujus calamitates, & miserias depinxit. Attamen, cum insuperhabito studio suo, Græcos identidem Spiritui sancto pervicaciter resistere cerneret, post quinquennales labores in vanum impensos Ecclesiæ a deo rebellis regimini nuntium misit, & in Monasterium quoddam Macedoniæ secessit, ubi reliquos vitæ suæ dies quiete transegit.

Præter